

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in two columns, with some lines appearing to be part of a list or a structured document. There are several large, decorated initials in red ink, which are partially legible as 'C', 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'W', 'X', 'Y', 'Z'. The paper is aged and shows signs of wear, including staining and some loss of material at the edges.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß
1831 oho

**CARMEN IN
NATALEM SALVATORIS**

nostri Iesu Christi, De cantico Ange-
lorum, Gloria in excelsis Deo,
Et in terra pax, homini-
bus læticia.

**SCRIPTVM AD ILLVSTREM
& generosum Dominum, Dominum
Volradum, Comitem in
Mansfelt &c.**

A

**Iohanne Ricardo
Mansfeldensi.**

VVITEBERGAE.

ANNO

1557.



ILLVSTRI ET GENEROSO DO-
mino, Domino Volrado Comiti in
- Mansfelt &c.

IAM noua dum celebrans patrio connubia ritu
In thalamos ducta est sponsa pudica tuos:
Plebs populuscq; simul lætantur & omne fausto
Accumulant in spem plurima uota tuam,
Te circum resonant læti, & gratantur honorem
Coniugij, cuius lex ueneranda DEI est:
Ipse ego quid faciam? quin horum exempla secutus
Ciuiibus adiungo uota precescq; meas.
Quid patria & læta uicinia mente precatur
Illud idem Musa pauperiore precor,
Hocq; tibi sacrum mitto Dux inclyte Carmen
Qui pariter bello clarus es atq; toga.
Accipe quas mitto Dux o generose Camœnas,
Carmina sunt casto hæc pectore digna legi
Casta decent castos, cecinit purissima cœli
Turba, Deum gaudens sic celebrare suum.
Ergo leges hymnum sacro de flumine ductum,
Quem uoce ingeminat cœlica turba DEO.
Sic tibi sit florens status & pax aurea mentis,
Lætâq; sint uitæ tempora cuncta tuæ.

Tuæ Celsitud: addictis:

Johannes Ricardus.

IN NATALEM CHRISTI, CAR.
men de Cantico Angelorum, Gloria
in excelsis DEO, Et in terra pax,
hominibus laticia.

HORA redit tempusq; diem uenerabile portat,
Qua Christus misero est natus in orbe puer:
Hac nobis rediēre die quæ perdidit olim
Primus homo, & lapsu contemeratus Adam
Rideat Eo quicquid Sol cernit ab axe,
Hac promissa salus est reparata die.
Filius æterni λόγος & genitoris imago,
Nobiscum factō scēdere uiuit homo.
Assumpsit carnem, & nostri medicina doloris,
Placauit læsi numina sancta DEI.
Victor adest Christus, fragiliq; in carne triumphans
Sub pede serpentis liuida colla premit:
Hunc premit & nobis Saluator colla resoluit,
Colla graui dudum debilitata iugo,
Ipse onus & molem primus subit, attamen inde
Victor abit, uinci nam λόγος ille nequit:
Nec uincit sibi, sed nobis ea munera donans
Vincit ut in nobis luceat ipse λόγος,
Vt regno erepti Sathanæ, uiuamus in illo,
Simus & æterno libera turba DEO,
Iamq; cohæredes cœlestia regna colamus,
Quæ Christi nobis sanguine parca manent.
Mente quis hæc poterit satis aut euoluere uerbis?
Quin iacet & sensu lingua hebetata silet.
Sed tamen est nostrum celebrare ea dona loquendo,
Infantum balbo uult Deus ore coli.

A ij

Ergo

Ergo pii recte repetunt ea festa quotannis
Praeconesq; suis elogia ista canunt
Quin quoq; coelorum chorus & sapientior ordo
Exilit, exultans laeticiamq; sonat
Concinit, & terris tantum gratatur honorem
Et laudis soluit iubila grata DEO
Hunc ego dum conor complecti uersibus hymnum
Me mentemq; sacri numinis aura regat.

Editus in lucem, argenti sub sydere Christus
Cum riget hiberno terra perusta gelu
Casta Maria sinu mundi complexa salutem
Qua poterat natum sola fouebat ope
Nocte sub obscura genitrix & castus Ioseph
Sunt soli, & soli non tamen esse queunt
Namq; adsunt omni coelestes parte ministri
Quisq; ministerij munia iusta facit
Astant aligeri, & pueri cunabula seruant
Et matrem grata sedulitate iuuant
Pracones alij uolitant, atq; aethera cingunt
Plaudentesq; cient consona uerba DEO
Gloria summa DEO, redeat pax optima TERRIS
Vivat, ut accipiat gaudia laetus HOMO
Quid sibi uult chorus hic, aut quid noua contio spectat?
Cur summo canitur laus tribuenda DEO?

Gloria uera datur quoties res magna peracta est
Quae iuuat & populi est maxima & una salus
Tunc uirtutis honos sequitur plaudente corona
Et fauor astipulans multus ubiq; uolat
Iudicij alterius testis mens iudicat intus
Iudiciumq; bonum cum grauitate probat
Res agit, inprimisq; animos uirtute bonorum
Deuincit, dignum conciliatq; Decus

Hinc

Hinc fructus sequitur, ceu corporis umbra uagatur
Per lucem quoties est incunda uia.
Cur sonat ista DEO nocturnis cantibus aër,
An res occulta est aut grauiora latent?
Magna latent certè humanæ nec peruia menti,
Gloria cur Domino sit tribuenda DEO.
Hæc propiore uidet luce, atq; examinat aptè
Cœlesti semper lucidus arce Chorus.
Euolat idcirco, nec cœli in sede moratur,
Atq; has res notas omnibus esse cupit
Voce canit, Dominumq; Deumq; super omnia tollit
Immensæ nomen qui bonitatis habet.

Magna quidem res est, quod mundum condidit autor
Primus, & hunc certa iam ratione regit.
Omnia quod sapiens hominum distinxit in usum
Et iussit certis legibus ire polum,
Vndè dies, horæ, certusq; expromitur annus,
Quæ uitam exornant nec dubiam esse sinunt.
Sunt hæc magna satis quod præsens omnia seruat,
Quæ spatio fuerant corruitura breui.
Deniq; diuinæ lucent bonitatis ubiq;
Signa, nec in paruo semine tecta latent
Idcirco Paulus, propè adest ita cuilibet, inquit
Palpari manibus possit ut ipse Deus.
Ista DEI uincunt omnes uestigia mentes,
Atq; Deo laudem soluere ritè iubent.
Verum opus est aliud quod longè cætera uincit,
Cuius ab aspectu mundus & astra stupent.
O bonitas immensa DEI, quæ maxima fulget
Quæ dabitur tanto gratia digna bono?
Ipse Deus gnatum, quo non præstantius ullum
In mundum mittit qui periturus erat.

A ij Hoc

Hoc mirum foedus nobiscum gaudet habere
Filius aeterno de genitore λόγος,
Ne simus dubij, incertoq; errore trahamur,
Sed firma credat mens releuata fide.

Principio humanum genus omni à crimine purum,
Ipliusq; DEI templum, & imago fuit.
Mens addicta DEO, finem non amplius ullum
Seclabat, Domino quam placuisse suo.

Huic paribus studijs, similiq; ardore uoluntas
Coniuncta, harmoniae consonus ordo fuit.
Cor quoq; non aliud nisi uera & recta probabat,
Nulla repugnantis signa laboris erant.

Deniq; luce DEVM & constanti fine colebat
Mensq; illustris erat cognitione DEI.

Hac placere DEO, temploq; habitabat in illo
Sic homo iusticiae lumine plenus erat,
Laticiaq; DEI perfusus pectore toto
In Domino uixit latus ubiq; suo.

Hic status, hac hominem pulcherrima forma manebat,
Tali liber erat conditione DEO,

Sed mox inductus truculenti fraude Draconis
Corruit, & Sathanae subiugus haeret homo.

Hei mihi quam teter est, & quam foedata ruina,
Archetypum nulla parte referre potest.

Mens tenebris caeca est, dubijsq; erroribus intus
Euripus ut medias fluctuat inter aquas

Ipsa auulsa DEO à uera regione uoluntas
Cedit, & imperium mentis iniqua fugit

Cor pugnat, legemq; DEI procul excutit, inde
In scelus affectu non moderante ruit.

Deformatus homo sic semina prima reliquit,
Aq; sui templum desijt esse DEI.

Iamq;

Iamq̄ erat ut ferret damnatus iudice pœnam
In Stygiasq̄ iret præcipitanter aquas.
Sed Deus hîc nobis sese placidissimus offert,
Et missò gnato fœdera læta facit.
Hunc nisi donasset nostrum genus omne periret
Possit & aspectum non tolerare DEI.
Ergo λόγῳ mediante caro iam nostra reuixit,
Et uitam à Christi sanguine, palmes agit,
Filius in sese Patris iram & fulmina mentis
Deriuans, nobis spontè redemptor adest,
Nascitur, atq̄ homini mirando fœdere iunctus
Factus homo est, mirum quid magis esse potest?
Nascitur & terris diuinus obambulat hospes,
Et frater nostri corporis ossa gerit.
Ut nobis pax sit, pro nobis omnia perfert,
Iusticiæ & soluit debita λυτρῶν DEO.
His rebus moti cœli magno agmine cœtus
Tractibus æthereis iubila læta cient.
Aspiciunt quæ sit cœli clementia regis,
Qui gnatum in mortis uulnera scœua dedit,
Glorificantq̄ Deum, solum super omnia magnum
Atq̄ hominem amplecti munera tanta iubent.
Nos igitur læti tanti mysteria facti
Voluentes, simus turba beata DEO.
CHRISTVM non alium Dominum quæramus, in illo
Sit sita nostra salus, hunc pia lingua canat,
Huic laudem tribuant, fidei suffulta nitore
Puraq̄ & affectu corda renata pio.
Hunc sibi uult tribui Deus, hunc sibi poscit honorem
In CHRISTO PVERO mens renouata placet.
Sint alij tumidi atq̄ operum caligine cœci,
Dispereant alij quos graue uincit onus,

A iij

Qui

Qui nequeunt animo, nascenti fidere CHRISTO
Hi desperantes in sua damna ruant,
Nos nostræ mentis trepidi ob malefacta gementes
Solius ad Christi confugiamus opem,
Hic nobis datus est, spes in discrimine rerum,
Qui graue peccati solus obumbrat onus.
Angelicas igitur pia mens imitata cohortes
Semper, sit Domino gloria, læta canat.
Quàm Deus à prima facilis sit origine discat
Cum mittat lapsis in mala summa λόγον
Qui nos seruauit mediator & ante parentem
Iam nostram causam, ne pereamus, agit
Hunc agnoscentes laudem simul ore sonemus
Et patri & gnato, Spirituiq; DEO.

Sed quare superum pacem Chorus ore precatur?
An nè grauem causam, qua moueamur, habent?
Cernis ut insultent sanctis & bella Gygantes
Viribus atq; dolis exagitata gerant,
Nusquam tuta quies, turbantur & omnia nutant
Iam quasi in antiquum sint ruitura Chaos.
Interea exiguis tuta est Ecclesia curis.
Atq; gemit uarijs dilacerata dolis
Omniaq; hæc Sathanæ uis atq; inimica potestas
Asperat, ex bellis dum fera bella serit,
Num pax esse potest cum bellis omnia feruent
Affligitq; pios ad latus omne Sathan?
Pax hæc sacra, canit quam coelica turba, uocatur
Quæ mentem pacans omnia tuta facit,
Pax hæc corda subit, Domini recreata fauore
Et facit ut menti sit bona & æqua quies.
Namq; omnes premimur, nimio & terrore pauemus
Mensq; intus secum prælia magna ciet.

Cum

Cum nondum in Christo gratis pacata quiescit
Et nondum uerbi munera sancta capit
Sed simul atq; sacri sentit solatia uerbi
Adiuuat & sancti flamen amoris adest
Ipse λόγος uerbo mentem confirmat & intus
Pectora solatur numine nostra suo
Hinc oritur pax atq; quies tutissima rerum
Quam pavor haud ullus debilitare potest
Sic & Paulus ait, cum pectora nostra quiescunt
In Christo, pacem iustificata tenent
Pace hac firmati nullo terrore mouemur
Quamuis exterius mille pericla fremant
Et ueluti rupes medijs quæ in fluctibus extrat
Vi nulla pelagi concurrente cadit
Sed manet inpauida, & uentos contemnit inanes
Inuictumq; suum tollit ad astra caput
Sic firmata fide nulla mens frangitur arte
Sed pacem & placidæ dona quietis habet
Hæc pax & uera est & semper lucida fulget
Et menti porrus metaq; certa manet
Huc aliquis mundi pacem, quæ nomen inane est
Conferat, ad tantum quid facit illa bonum?
Clara fuit quondam uictoris gloria magni
Sed cum sit foelix incipit esse miser
Cladibus obruitur, nec ei solatia constant
Fluctuat & pacem mentis habere nequit
Indè mali impatiens uolui putat omnia casu
Et nihil esse nisi nomen inane Deum
At Daniel cinctus quamuis sit fauce leonum
Huic tamen in Domino spes benè fixa manet
Scit sibi nil quicquam fieri aut contingere acerbum
Ni fiat summo distribuente DEO

A v

Huic

Huic se committit sese huic suaq; omnia credit,
Pacatusq; simul spe sua damna leuat.
Nec mortem fugit, intrepidus sed funera spernens
A Domino auxilium praesidiumq; capit.
Sic quamuis aliquid sanctos perferre necesse est,
At tamen auxilij spem melioris habent.
Et tandem aetherei sublati in gaudia caeli
Pacis ubi nullo tempore finis erit,
Otia tuta colent, Dominiq; priora uidebunt
Hic pacem aeternam mens habitura pia est.
Deniq; leticiam caelestis in aere coetus
Atq; hominum generi gaudia laeta canit.
Res haec magna prius duro illucescit agone,
Et lucis spargit semina clara suae.
Nam simul atq; λογος nos uerbo illuminat intus,
Et tangit motu pectora nostra suo.
Spiritus ipse DEI mouet, inflectitq; docendo
Ut uerbum accipiant corda renata DEI,
Agnoscantq; Deum, & uere latentur in ipso,
Atq; nouum capiant uiuificata decus.
Haec noua laticia haud ulla ui uincitur unquam,
Sed subiecta DEO sustinet omne malum.
Scit sese esse DEO curae, hinc sibi praemia sperat,
Et CHRISTVM spectat noticiamq; Patris,
Non mundum, non arma timet, non tela Draconis
Fortiter in propria nititur ipsa fide.
Inq; sua fidei gerit obsignacula mente,
Atq; DEI uiui flamen amoris habet.
Summe Deus, nostris fac haec in cordibus adsit
Laticia & mentis purificata quies,
Simus ut in Christo caelestis surculus aulae,
Qui pauper nostro uagant orbe puer,
Et nostram

Et nostram massam cœli super astra locavit,
Semper ubi regnat uerus homo atq; Deus,
Hic nos sustentet pacemq; & cœtera donet,
In tam multiplici colluisione mali
Nos huius memores mirandi fœderis, ad te
Tollemus nostri pectoris ora Deus.
Angelicumq; pio motu cantabimus hymnum,
Non erimus laudî turba inimica tuæ.

FINIS.



Et non est in terra cuius locum
semper ubi regnat rex in terra
Et non est in terra cuius locum
semper ubi regnat rex in terra
Et non est in terra cuius locum
semper ubi regnat rex in terra
Et non est in terra cuius locum
semper ubi regnat rex in terra

F. I. N. I. S.



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044




86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





CARMEN IN NATALEM SALVATORIS

nostri Iesu Christi, De cantico Ange-
lorum, Gloria in excelsis Deo,
Et in terra pax, homini-
bus læticia.

SCRIPTVM AD ILLVSTREM
& generosum Dominum, Dominum
Volradum, Comitem in
Mansfelt &c.

A
Iohanne Ricardo
Mansfeldensi.

VVITEBERGAE.

ANNO

1557.

